


3080.



UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT



900000152286

Digitized by Google



EPISTOLA GASPARIS DIAS FEREIRA

In carcere, unde erupit, scripta

Die 17 August. 1649.

*Illmis. ac Celfissimis Præpotentibusque Dominis
Ordinibus Generalibus Deputatis.*

IN omni tempore, statu & fortuna decet virum ingenuum suarum actionum rationem palam exhibere, præsertim cum rerum vicissitudo eò premit & impellit, ut stultas non plebis, sed malevolorum linguas in honestorum depressionem, & denigrationem semper intentas ère sit, veritatis nodis religare. Lusitanus sum, & Sérénissimi Regis Portugaliæ à natura vasallus, per divisionem Brasiliæ in partes Dominorum fœderati Belgii propria sponte ac promissa fide secessi, eorumque dominium sub direccione societatis subivi, accedente illuc terrarum Illm. Dn. comite Mauricio, in illius gratiam, obsequium, & ministerium pro societatis commodo me commisi: meâ opera, industriâ, atque consiliis toto suæ gubernationis septenio populum Lusitanum adeo continuuit in officio, ut palam prouintiare non abnuerit, se plus obsequii à Lusitanis quam à Belgis in omnibus occasionibus pacis bellique perceperisse: ipsum Illm. comitem fidissimum, & insignissimum hujus veritatis testem listere audeo, utrarum rerum gerendarum, sive dirigendarum ergo, veritus sane, ne ipso absente, invidi Lusitani, quando Belgarum odium eva-

dere potuissem, in me ruerent, at scitum volo, ut
triusque nationis neminem sive argenti, vel auri
tantillum à me acceptum, sive injuriam alicui in-
cussam mihi posse exprobare: in hanc perveniens
regionem animadverti Societatis res hic ita vergere
in ruinam, ut eam diu subsistere nullo modo posse,
judicarem, & cum de earundem statu in Brasiliâ sa-
tis gnarus essem Lusitanorumque tardii affatim con-
scius, timens regioni illi, brevi ea quæ evenerunt
eventura, apud me constitui, aliquam explanare fi-
ve aperire viam, ut absque ullo neutrius nationis
damno Brasilia ad securitatem & quietem perduce-
retur, quippe qui bona, & quidquid in mundo possi-
deam, in ea regione situm habebam: proposui ideo
Serenissimo Regi meo, ut Brasiliam vellet emere à
Societate, excogitavi modos, struxi rationes, desi-
gnavi ac ostendi tramites rectos & obliquos quo ad
effectum negotium deduci possit, ut inde profecto
verbis & suasionibus tanquam ad Principem, & pri-
mates Lusitanos usq; ad ipsius Religionis prætextum
& zelum: interceptis horum meorum scriptorum
copiis, à Curia Provinciali duodecim millibus flo-
rencrum & exitio particulari damnatus sum, porrò
tunc in adventum miserum, nullius perduellionis
reum, imo de republ. non solum in Brasilia sed
& hic in Belgio, si res ex recto bonæ rationis status
angu-

angulo candide perspiciatur, benemeritum, illud
rarum (quod nunquam antehac à primordiis hujus
republicæ visum est) nempe in processu extraor-
dinario, ab ipso tribunal, ad quod appellatio esset
devolvenda, Procuratori generali eandem non tan-
tum concedi, sed incitari: nulla hucusque facta fue-
rat, nec permissa similis appellatio in his Provin-
ciis: quid sententiæ possem sperare à judice appelle-
tionem petente, sive cupiente, ea fuit tripliciter
capitalis: condemnatio scilicet triginta millium
florenorum, septennalis captivitas, allegatio extra
universum orbem, qui Dominis Ordinibus paret
ab oriente usque ad occidentem, & qui aliquando
futurorum temporum paruerit, & insuper sine sen-
tentia, ab humano colloquio interdictio salva præ-
fidis facultate, fuit superaddita: Hos labores per
quadriennium exantlavi: & cum universa bona
mea (quæ quidem non erant exigua) bello, popula-
tionibus, furtis, & direptionibus absumpta sint, ul-
timò ad clementiam Celsissimi Principis Auriaci
pro remedio tantæ miseriæ obtinendo nuper con-
fugi: stiti supplicationem suæ Celsitudini, causam
meam, statum, & labores veraciter enarrando: re-
misit eam ipse benigne de more solito ad Curiam
provincialem, ut de ea re consilium seu informa-
tionem daret: ego vero nil acerbius possem à Curia

sperare, quam quod in prima instantia judicaverat,
conscius (ut ipsa) me nihil noxæ prætentis cuspis
(quando sic vocare libeat) addidisse; at vero Curia
nil in scriptis responderet decretum, videns utique
ut reor, meæ veraci propositioni non posse resistere
per scripta, sed statuit, verbo tenus Celsissimo
Principi satisfacere, quod tali modo factum est
(quo tamen, nescio) ut omnino mihi tota libertatis
spes, & remedii adempta fuerit; Quid in rigida hac
fortuna facturus essem (Celsissimi Domini) quid
opis ad meam familiam septem puerorum, & uxoris
per orbem sparsam excogitare valerem? quid
vitæ vel vimendi modum instituere possent, quid
de miserrimo hoc mortali senecte ad incitas redacto
expectandum foret, solvere mulierem mihi erat im-
possibile, fugere probratum, propriis manibus ju-
gulari, impium ac detestabile homini Christiano;
demum illud medium, quod possem ante tres annos
eligere (& quidem præ rubore nolvi) hoc elegi, ac
patravi: fugi, ut potui: at non vos Celsissimos Do-
minos fugio, neque vestram Gubernationem, aut
Dominium. Familia enim mea & omnia in Brasilia,
sub vestra sunt potestate: fugio acerbam illorum
hominum indolem, qui advenarum damnis oble-
ctantur ac tripudiant: hujus veritatis à me hic asser-
tæ probationem ad oculum spero habeatis, si Deus

Opt.

Opt. Max. me in conspectum Serenissimi Regis
mei pervenire concesserit: Daturus enim sum ope-
ram, quoquo possim modo ei suadere veris ratio-
nibus, ut posthabit is populi interpellationibus, sui
ipsius proposito & desiderio prudenter satisfaciat,
dissidiaque præsentia de Brasilia ad perpetuam pa-
cem componentur. Ipse Deus Opt. Max Illust. per-
sonas vestras, & Rempubl. servet & facilitet. Dat.
Hagæ, carcere an discessu, decimo septimo Augusti
1649.

GASPAR DIAS FEREIRA.

